



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio III. Argumentum. Explicatur, quid sit fides? quot ejus præcepta? Et quo peccata contra ipsa? Quæ mysteria fidei dei necessitate scienda? Et quando sint eliciendi actus Fidei? De Professione ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Parochi habeant librum particularem, in quo descripti sint omnes filii, & filiae ab annis. 4. usque ad 16. ut eos omnes agnoscant, & sciant, an convenient, vel non ad Doctrinam Christianam? & valeant negligentes arcessere. 15. Quod eo tempore, quo pueri à Magistris in Ecclesia Doctrinam Christianam edocentur, ipsi Parochi in Sacristia, vel alia capella instruant adultos de aliquo mysterio, seu parte ejusdem Doctrinae Christianae. 16. Quod infra disputationem, quae fit per doctiores pueros ad finem Doctrinae Christianae, Parochi explicent eandem Doctrinam methodo accommodata ad instruendos homines adultos ibi praesentes, ut sic excitentur ad libentius conveniendum, & ediscendam ipsam Doctrinam. 17. Ut Parochi legant, & legere faciant singulis festivis diebus partem aliquam Regularum Doctrinae Christianae, ut à confratribus, & operariis ejusdem observentur. 18. Tandem, quod Parochi omnes, & Curati animarum sciant, hoc esse unum ex praecipuis muneribus, de quo à Domino in die iudicii interrogabuntur. Ideo nunquam cessent, monere, arguere, & hortari populum ad hoc studium; & tali fervore praedicent de necessitate Doctrinae Christianae, ut populi capiant, hoc maximè referre. Neque se excusent Parochi super Populi pigritia; nam experientia demonstrat, sub fervidis Parochis, populos alios pigerrimos, diligentissimos effectos in hoc sancto opere Doctrinae Christianae.

DECISIO TERTIA.

ARGUMENTUM.

Explicatur, quid sit Fides? quot ejus praecepta? Et quot peccata contra ipsa? Quae mysteria fidei de necessitate scienda? Et quando sint eliciendi actus fidei? De Professione fidei à Parochis facienda, & prudentialiter de remediis pro servanda reverentia in Ecclesiis.

SUMMARIUM.

1. Fidei definitio.
2. Fidei praecepta quinque.
3. Peccata quatuor contra Fidem.
4. Mysteria fidei quae credenda, & quae scienda de necessitate?
5. Fidei actus quando sint eliciendi?
6. Parochus non faciens professionem fidei an mortaliter peccet?
7. In quam penam incurrat?
8. Haereticus si sit tantum in corde, an possit Confessarius absolvere ab ea?
9. Irreverentia, quae sunt in Ecclesiis, & remedia contra easdem.

Ad infra scripta Quae sit, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD PRIMUM. Quid sit Fides? Esse virtutem Theologicam, à Deo infusam, per quam firmiter, propter ipsius Dei auctoritatem, assentimur iis; quae à Deo revelata sunt & ab Ecclesia proposita. Ex S. Thom. 2. 2. q. 4. art. 1. & Tamb. in Dec. lib. 2. c. 1. n. 1.

AD SECUNDUM. Quot sint Praecepta fidei: Esse quinque, videlicet, 1. Credendi articulos fidei. 2. Eos sciendi. 3. Illos exterius confitendi. 4. Fidem exterius non negandi. 5. Eandem interius non perdendi. Horum autem prima tria esse affirmativa, quae non obligant semper. Duo

ultima esse negativa, & ideo obligare semper. Tamb. d. lib. 2. in Dec. cap. 1. §. 1.

AD TERTIUM. Quot sint peccata contra Fidem? Quatuor, Nempè, 1. Infidelitatem, ut in Paganis, Judaeis, & Saracenis. 2. Haesim, quando homo baptizatus tenet in intellectu errorem cum pertinacia contra aliquem fidei articulum. Et hæc est duplex vel interior, vel exterior. 3. Apostasiam: cum fidelis recedit in totum à fide. Et 4. Schismam; quando fidelis credit quidem articulos fidei, sed retrahit se ab obedientia Summi Pontificis, ut est Christi Vicarius. Ita ex Sanchez lib. 2. in Dec. cap. 7. ex Castropal. tom. 1. tract. 4. diff. 3. part. 2. & ex Tambur. ubi plurimi. dict. lib. 2. in Dec. §. 4. §. 9. & §. 10.

AD QUARTUM. Qua de necessitate scire debeant homines mysteria fidei? Non minus amplè, quam doctrinae responsiones super hoc prodire; quibus duarum opinionum relatæ sunt Theologorum inter se dissidentium, quos allegat Salesius de officio S. Inquisitor. lib. 1. cap. 9. reg. 77. num. 94. Alii enim tenent, quod fideles necessitate Medii; Alii quod sola necessitate Praecepti, à quo ignorantia inculpabilis excusat, teneantur explicite credere Mysterium Unitatis, & Trinitatis Dei, atque Incarnationis D. N. Jesu Christi. Scire autem debeant, saltem quo ad substantiam, Articulos Symboli Apostolici, Decalogum, & Sacramenta Baptismi, Penitentiae, & Eucharistiae. Ita pluribus DD. citatis Salesius dict. regul. 77. & regul. 78.

AD QUINTUM. Quando necesse sit elicere actus fidei? Distinxerunt: vel loquimur de necessitate Medii? Et sufficit semel in vita, id est, dum baptizantur adulti; vel pueri ex Parentibus Christianis dum perveniunt ad usum rationis, qui hoc adimplere reputantur, quando Doctrinam Christianam ediscunt, aut mysteria divina colunt, quae celebrantur in Ecclesia. Vel quærimus de necessitate Praecepti, & quia damnatae sunt propositiones dicentes, Nullo tempore, vel semel in vita satis esse elicere actus fidei, ut sub SS. Alex. Septimo Prop. 1. & sub SS. Innocent. XI. Prop. 17. & 65. ideo pluries in vita esse eliciendos. Sanchez lib. 2. c. 1. n. 3. & ibi DD. Praedictarum propositiones damnatae ita asserbant. Prop. 1. Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, Spei, & Charitatis ex vi praeceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium. Prop. 17. Satis est actum fidei semel in vita elicere. Prop. 65. Sufficit illa Mysteriorum credidisse.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Parochus in confessione se accusat, nunquam fecisse professionem fidei? Quaritur, in quam culpam, in quam penam, in quam obligationem incurrit? Responderunt, Quo ad culpam, incurrisse in peccatum mortale secundum magis communem opinionem Doctorum, quos allegat, & sequitur Sanchez in Dec. lib. 2. cap. 5. num. 1. ea ratione quia Concilium Trid. sess. 24. cap. 12. de ref. utitur gravibus verbis, & infert gravem penam. Quamvis probabile sit, venialiter tantum peccare, quia lex poenalis regulariter non obligat ad culpam mortalem, & ita tenet Riccius de Jure personar. l. 1. cap. 16. Quo ad penam, amisisse fructus beneficii ipso Jure, adeo, ut neque Ordinarius possit eos illi condonare. Riccius d. c. 16. num. 7. & Thesaurus de Penis part. 2. Verb. Fidei professionem num. 3. Quo verò Ad quam obligationem?

nem? Teneri statim ad ipsam fidei Professionem faciendam, non quidem ad recuperandos fructus amissos, sed ad quarendos futuros. *Parisijs de resignat. benefic. lib. 10. qu. 9. num. 13.* Quia terminus duorum mensium à Concilio est præfixus non ad finiendam obligationem, sed ad differeendam poenam. *Navar. cons. 4. tit. de Sum. Trin. & fide Cathol.*

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam se accusat in confessione noluisse credere resurrectionem corporum futuram, quia licet de hoc fidei articulo fuerit admonitus, reputavit eam impossibilem in corde suo. Nunc tamen credere est paratus. Queritur, an possit à quolibet Confessario absolvi? In primis lucullenter discusserunt, an per solam hæresim in mente retentam incurrantur censuræ? & cum duæ sint opiniones, ut docet *Azor. p. 1. lib. 8. cap. 10. qu. 3.* Affirmativa antiquorum, & Glossæ in *Cem. 1. verb. eo ipso incurrant. De Hæretic. & Negativa modernorum, quæ communior est, ex Simanca de Cathol. inst. tit. 42. n. 3. & 4.* Ideo huic adhæserunt, resolvers, poenitentem præfatum, qui tantum in corde suo non credebatur corporum resurrectionem, posse à quolibet Confessario absolvi ex *Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 14.* Et hanc eandem opinionem ego tenui in meis Decisionibus de Poenitentia Decis. 44. n. 10. ubi DD. gravissimos allegavi.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Notentur irreverentia, quæ à populis committuntur in Ecclesiis. Et remedia pro iisdem tollendis. Diversi diversa scribere, quæ sequuntur. 1. Pueros strepitus. 2. Mulierum vulgus. 3. Amatorii gestus. 4. Virorum multitudo in Januis. 5. Armorum delatio. 6. Adhæssiones altaribus, & sedibus confessionum. 7. Genus exiones imperfectæ. 8. Viri intuentes mulieres. 9. Garrulitas. Remedia harum irreverentiarum esse. 1. Quod Parochi in concionibus ostendant Sanctitatem Templorum, & in eis esse summo timore, & tremore immorandum ob Dei præsentiam, Angelorum assistentiam, & Sacrificiorum excellentiam. 2. Quod allegentur exempla Regum, & Principum, qui in Ecclesiis summam reverentiam præstitere, & exigere curarunt. 3. Quod ipsimet Turcæ, & Infideles templa sua venerantur. 4. Narrentur punitiones, & flagella in contemptores Ecclesiarum. 5. Poenæ, & Censuræ à Sacris Constitutionibus indictæ. 6. Mulieres stent divisæ à virorum coetu cum telis in Visitationibus Episcopilibus præscriptis. 7. Infantes non deferantur tempore Missæ, pueri grandiores custodiantur à Genitoribus, & doceantur filere, & orare. 8. Sapè moneantur populi de reali præsentia Christi Redemptoris in Eucharistia. 9. Colligantur Scripturæ, & Patrum testimonia super reverentia Templorum. 10. Et in confessionibus Parochi agant de hoc, ut poenitentes doleant de patris irreverentiis, & se emendant. Legant Parochi Quadragesimale P. Pauli Segnerii Soc. Jesu Concione XXIII. in qua tractat eleganter, & doctè de reverentia præstanda in Ecclesiis cum multis argumentis, historiis, & exemplis; nec non eundem Auctorem in *Christiano Instructo p. 3. Diss. 4.* per totum, ex quibus locis ipsi Parochi desument materiam differendi cum fructu de hoc casu ad suas plebes.

DECISIO QUARTA.

ARGUMENTUM.

Differitur de Spe, & de Charitate erga Deum.

Quæ sint peccata contra has virtutes? Quo tempore actus earum sint eliciendi? An peccent, qui semper stare vellent in hoc mundo; & qui dum infirmantur, nolunt medicinas? Tandem de remediis pro extirpandis Choreis, ac Saltationibus.

SUMMARIUM.

1. Spei definitio, & ejus encomia.
2. Peccata contra Virtutem Spei duo, & quæ?
3. Spei in Deum actus quando sint eliciendi?
4. Charitatis in Deum definitio.
5. Charitas in Deum quot peccatis offendatur?
6. Charitatis actus in Deum quo tempore eliciendi?
7. Vivere semper velle in hoc mundo an sit peccatum?
8. Medicinas recusare in infirmitate an sit peccatum?
9. Chorea, ac Saltationes quibus remediis à Parochis retrahendæ?

Ad infra scripta Quæstia, & casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD Primum. Quid sit Spes? Alii, quod est inclinatio ad futuram beatitudinem, Dei auxilio consequendam. Ex *Toler. lib. 4. c. 7. n. 1.* Alii, quod est Virtus infusa, ac Theologica, per quam à Deo speramus vitam æternam omnibus mediis necessariis. Ex *Reginald. tom. 2. lib. 1. tr. 2. cap. 6. num. 75.* Alii, quod est expectatio certa beatitudinis ex Dei gratia, & nostris meritis. Ex *Mag. Sent. in 3. dist. 26.* Alii in laudanda spe se extendentes variis Epithetis eam appellarunt, præcipuè, Baculum hujus peregrinationis, juxta illud *Virga tua, & baculus tuus ipsæ me consolati sunt. Psal. 21.* Umbraculum diei ab æstu. *Isa. 4.* Et calceum, symbolum possessionis, & dominii, ut mos erat apud Hebræos; *Ruth. 4. 7.* Ideo Filio prodigo revertenti datus est, jussu Patris, annulus, calcei, & stola prima, id est dona fidei, spei, & charitatis; ut *Marchant. lib. 2. tract. 1. lect. 1. de Spe.*

AD Secundum. Quæ, & quot peccata contra hanc virtutem? Concordant omnes, esse duo, Præsumptionem, & Desperationem. Præsumptio est, cum quis confidit consequi gratiam, & gloriam, vel ex seipso tantum, vel ex sola misericordia Dei, sine sui ipsius cooperatione. Desperatio est, cum quis tenet, Deum vel nolle, vel non posse ei gratiam, & gloriam conferre. Et utrumque peccatum, si sit cum errore intellectus, & pertinacia, unitum esse hæresi, & hanc circumstantiam esse in confessione aperiendam. Ex *Abelly in medulla Theol. p. 2. tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 2. & Tambur. in Decalog. lib. 2. cap. 2. §. 1.*

AD Tertium. Quando sint eliciendi actus Spei? Distinxere. Ut Præceptum negativum non desperandi, obligare semper, & ad semper. Ut affirmativum sperandi, in tribus casibus obligare ad actus Spei eliciendos. 1. Cum primum adultus intelligit, se creatum à Deo pro æterna salute consequenda. 2. Quando est facturus actum, cui necessaria est virtus spei, ut confiteri, contritionem agere. 3. Quando gravis tentatio desperationis urget. *Abelly d. p. 2. ex Bann. 2. 2. q. 22. art. 11. dub. 2. ex Azor. p. 1. lib. 9. c. 2. q. 6.* Et mea Erotemata cap. 11. num. 4.

A 3

Ad